

# EPISTULA LEONINA

## CCII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM SECUNDAM (202) !**

## ARGUMENTA

DIS SUPERIS PAR.....	03
ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS – Relatiuncula intermedia ( <i>Leo Latinus</i> ).....	04-07
SATURA GRETARIA ( <i>Boxfrank</i> ).....	08-10
NUM CARNEM HUMANAM COMEDAMUS CLIMATIS CAUSA? ( <i>David Berger</i> )..	11-13
SOCIETATEM REDACTAM ESSE AD RATIONEM PUERILEM ( <i>Henryk Broder</i> )..	14-17
DE PIETATE AENEAE ET MOYSIS ( <i>David Gowan</i> ).....	18-19
ECHUS VOCES EPISTULAE ( <i>Ciarrocchi, Stratmann</i> ).....	20-22

## **LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Cara Lector,***

*e Coreâ reversus nunc tandem tibi offero Epistulam Leoninam ducentesimam secundam (202). Sive argumenta tibi placent sive displicant, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias tibi ago in antecessum.*

*Eheu finiti sunt dies aestatis recreabiles; imminet autumnus laboriosus. Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!*

**Medullitus Te salutat**

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Lunae, 9. m.Sept., a.2019**



# DIS SUPERIS PAR

QUI SOLLERS FACIENDA FACIT VITANDAQUE VITAT,  
HUNC EGO DIS SUPERIS ARBITROR ESSE PAREM.

**QUI SOLLERS FACIENDA FACIT VITANDAQUE VITAT  
HUNC EGO DIS SUPERIS ARBITROR ESSE PAREM.**

Urbano Appendini (1777-1834), De Educatione Disticha.

# **ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS:**

## **RELATIUNCULA INTERMEDIA**

**Paucis verbis nunc referam de hōc opere prolixo cui componendo iam diutius incumbo insudoque.**

Sessione anni proximi praeteriti Academiae Latinitati Fovendae rettuleram me ex decem ferē annis componere partem Latinam magni Lexici picturati, cui ad opus Comenii mirabile alludens nomen imposui, quod est *Orbis Pictus Hexaglottus*. Academicos rogaveram, ut curarent hoc **lexicon sub aegide Academiae Latinitati fovendae êdendum**. Cum grato animo accepissem eosdem benignē favere huic operi êdendo, animo confirmato et refocillato coepi labores vocabula colligendi et configendi antea sparsim tantum susceptos exanclare saepius et perseverantius.

Relatiunculâ intermediâ nunc referam, quale opus tractem et quantum interim progressus sim in Orbe Picto Hexaglotto componendo.

Anglicus titulus originalis est “*Visual Dictionary*”. Editum est hoc opus Monte Regio sive Marianopoli (*Montréal*) in urbe Canadensi, in domo editoriâ, cui nomen est “*Québec-Amérique International*”. Utor editione, quae facta est in Stutgardensi domo editoriâ, cui nomen est *Klett*. Quod lexicon continet 40.000 (quadragena millena) vocabula quinque linguarum et complectitur paginas 1271 (mille ducentas septuaginta unam), quarum 1071 (mille septuaginta una) spectant ad picturas vocabulaque, reliquae ducentae ad indices verborum.

Vocabula Francogallica originalia electa sunt ab Iohanne Claudio (*Jean-Claude*) *Corbeil* et Ariadnâ (*Ariane*) *Archambault*. Haec verba originalia a variis interpretibus conversa sunt in sermones anglicum, theodiscum, hispanicum, italicum.

Lexico insunt octo milia picturae rerum, quae spectant ad modernam vitam cottidianam. Picturis illustrantur quadraginta milia notionum.

Omni notioni attributa sunt nomina quinque linguarum, quae sunt theodisca, anglica, francogallica, hispanica, italica. Haec iam insunt editioni a.2011 (bis millesimo undecimo) Monte Regio et a.2014 (bis millesimo quarto decimo) Stutgardiae factae. Meum autem est propositum hoc lexicon pentaglottum ditificare sextâ linguâ, quae est Latina, i.e. **40.000 (quadraginta milibus)** notionum imponere vocabula Latina.

## **Qualia vocabula afferantur**

Lexicographi opus suum incohant ab universis et a caelo et stellis (vocabula **astronomica**), progrediuntur ad globum terrestrem (vocabula **geologica** et **geographica**), tractant **plantas** et **bestias**, **nutrimenta** et **res domesticas**, artes **musicam** et **figurativam** et **architecturam**, instrumenta **electrica** et **electronica**, **computatralia**, **vehicula** (autocinetum, birotam, autobirotam, tramen ferriviarium, navem, aeroplanum, machinas aedificandi et agri colendi). Sequitur pars Orbis Picti, quae dedicata est **energiae**, id est officinis carbonariis, aquaticis, atomicis, aeolicis, solaribus et similibus. Deinde tractatur provincia, cuius titulus est **scientiae**, quae praesertim complectitur nomina **physica** atque **chemica**. Post scientias agetur de **societate**. Pars lexici finalis sat copiosa pertinet ad **res athleticas** et **lusorias**.

## **Quantum progressus sim**

Assecutus sum interim paginam 807 (octingentesimam septimam) lexici, quod **in summâ complectitur paginas 1071** (mille septuaginta unam). His diebus versor in hac parte lexici tractandâ, quae spectat ad **ENERGIAM**. Mox aggrediar **partem**, quae spectat ad **SCIENTIAS**. Restant ergo **264 (ducentae sexaginta quattuor) paginae tractandae**, quae spectant ad scientias, societatem, res athleticas atque lusorias.

## Duo tomi

Editio originalis unum tantum habet tomum, sed nostra Latina oportet habeat duos tomos: unum, qui continet picturas et nomina rerum, alterum, qui continet testimonia et synonyma et adnotatiunculas, quae spectant ad orthographiam et etymologiam verborumque confictionem et similia.

**Tomo primo inerunt:** Picturae et vocabula sena: theodiscum, anglicum, francogallicum, hispanicum, italicum, Latinum. Latino vocabulo adduntur longitudines vocalium, genitivus, genus. Unum tantum vocabulum potest indicari, synonyma indicantur in tomo altero.

**Tomo alteri inerunt:** Index Latinus, cui insunt loci testes et citationes. Interdum synonyma afferuntur, adnotatiunculae orthographicae, etymologicae, logopoeticae.

Maximē valet **locos testes verborum** indicare: nam alioquin opus nullam habebit auctoritatem philologicam. Ceterum decet et iuvat et delectat celebrare memoriam illorum Latinitatis vivae defensorum, qui optimē sunt meriti vocabulis colligendis atque configendis.

## Sodales relectores

Valdē gaudeo quod nonnulli sodales parati sunt me hoc opus prolixum componentem comitari accuratē relegendo doctēque suadendo. Qui sunt **Gaius Licoppe** et **Victorius Ciarrocchi**.

## Tempus perfectionis et editionis

Praedisposui spatium trium annorum, restant nunc duo anni.

### Numerus exemplorum

Primo typis imprimenda esse videntur exempla operis aut 500 (quingenta) aut summum 1000 (milia). Discus compactus electronicus addendus esse videtur.

## Pretium

Secretaria domûs editoriae Canadensis mihi scripsit certum pretium nunc nondum posse indicari, quia nemo sciret, qualis futura esset condicio mercatûs librarii oeconomica post duos annos. Libro perfecto inveniendum fore typographum, qui eundem unâ cum aliis libris imprimere condicione commodissimâ.

Iucundissima est huius Orbis Picti colorum saturitas, laetissima ubertas, multiplicitas maximê mirabilis. Hoc opus est mundi moderni et vitae cottidianaे hominum saeculi vicesimi primi pulcherrimum panorama et caleidoscopium. Utinam favore vestro êdatur quam maturrimê versio huius operis L a t i n a !

*Medullitus vos salutat*

*Nicolaus Groß*

*Leo Latinus*

## SATURA GRETARIA



Ecce *Greta Thunberg* in urbe Hammaburgo manifestans:  
Dux motū socialis, qui appellatur „*Fridays for Future*“

Scribimus annum 2060; unus sum ex ultimis superstibus *Gretiae*, quae prius vocabatur Terra versicolor (*Buntland*).

Anno 2025 Greta (quam ingeniosissimam esse devotē confiteor), fundatrix religionis nostrae, inter quendam morbi sui psychici accessum invēnit *servatrum climaticum*. Tali instrumento *venenum climaticum* (quale illo tempore *CO<sub>2</sub>*, *carboneum dioxydum* ab omnibus vocabatur) ex aëre eximi potuit totum. Cum antea iam multi se converterant ad *gretologiam*, i.e. Greta's religionem climaticam, tum tandem *gretologia* facta est religio universalis in toto orbe terrarum summā cum pietate colenda.

Decem iam annis post in omni tecto domestico omnibusque in electricinīs aeolicis<sup>1</sup> positum erat *servatrum climaticum*. Dolendum autem erat talibus instrumentis consumi ingentes copias fluenti electrici. At quandocumque tenebrae atque malacia<sup>2</sup> erant, nationes nobis propinquae recusabant, ne fluentum electricum venderent Germaniae, quia ipsae eodem egebant ad *servatra climatica* propria adhibenda. Itaque Sancta Greta (ipsis Prasinis<sup>3</sup> nolentibus!) id

<sup>1</sup>\***electrificīna aeolica** theod. *Windrad*; *Windkraftwerk*; angl. *wind turbine*; fr. *éolienne*; hisp. *turbina de viento*; ital. *turbina eolica*. cfr Gr., Vox Latina 1986, p.155: Atomkraftwerk – electricina nuclearis.

<sup>2</sup> **malacia**, -ae f. *Windstille*, *Flaute*.

<sup>3</sup> **Prāsinī**, -ōrum m.pl. *Partei der Grünen*.

assecuta est, ut aedificarentur decem novae officinae nucleares, quae essent *centenis partibus centesimis (100%) climatoneutrales* et - quia etiam homines ipsi carbonum dioxydum exspirant – earum sumptūs solverentur vectigali aëris respirandi postulato. (Greta iam a.2019 (!) officinas nucleares in situ suo interretiali primo postulaverat, sed postea hoc postulatum revocaverat).

Eo quod ubique terrarum *servatra climatica* adhibita sunt, usque ad annum 2035 fieri potuit, ut portio carbonei dioxydati, quae aëri infuit, deminueretur a trecentenis sexagenis usque ad ducentenas sexagenas partes milionesimas<sup>1</sup>. Cum annis praeteritis productiones agriculturae iam continuo deminutae erant, anno 2040 nulla iam messis facta est. Nunc totius Europae cives fame vexabantur. Scientiae autem, cum monerent plantarum decrescentiam atque sterilitatem effectas esse *servatris climaticis* adhibitis, hac explicatione a diurnariis Gretariis vehementer repudiata severē in ius vocati sunt propter *maledicta in Gretam collata*.

Officialiter enuntiatum est problema calamitatis non solvi posse, nisi adhicerentur *etiam plura servatra climatica*. Itaque a.2045 in Gretaniā omni domui imposita erant duo *servatra climatica*. A.2050, quo portio carbonei dioxydati valuit centenarum quinquagenerum partium milionesimarum ( $0,015\% = 150 \text{ ppm}$ ), mortuae erant omnes silvae pluviales. Homines divites (qualis ego fui) nunc reconditas retinebant magnas copias nutrimentorum, cum plebecula fame vexaretur.

A.2055 plantis absentibus portio oxygenii, quae infuit aëri atmosphaericō, coepit rapidē deminui. Qui usque nunc nondum fame perierant, nunc sunt suffocati, exceptis paucissimis (inter quos ego), qui penuriam oxygenii imminentem praevidentes hoc gasum recondiderant. At interim – nunc est a.2060 – etiam oxygenium reconditum respirando consumpsi. Moriturus sum.

**HEUS GRETA, GRATIAS TIBI AGO !!!**

---


<sup>1</sup>  $0,036\% = 360 \text{ ppm} = \text{trecentae sexagenae partes milionesimae}$ ;  $0,026\% = 260 \text{ ppm} = \text{ducentae sexagenae partes milionesimae}$ .

*Hunc textum satiricum in interreti invēni; auctor indicavit nomen „boxfrank“, quod utrum verum sit an ficticium nescio, sed opusculum boxfrankianum mihi dignum visum est, quod togā induerem. LEO LATINUS*

**GRETA SARA' RICEVUTA IN VATICANO DAL PAPA**



**GRETA A PAPĀ IN SEDE VATICANĀ RECIPIETUR  
LAUDETUR CLIMA ! SEMPER LAUDETUR...**




Wenn die „FridaysforFuture“-Schulschwänzer zu Grünen Khmer erwachsen sein werden.

**EN QUAE FACIENT ABSENTATORES CLIMATICI SI ADOLEVERINT !  
QUI ERUNT KHMERI PRASINI** (i.e. similes erunt Khmeris Russatis, communis quondam Cambodiae summo rigore summâque crudelitate praeditis):  
**“FAC PROSCYNESIN CORAM SANCTUARIO SANCTAE GRETAE!” – “CRAS FIET COMBUSTIO LIBRORUM”.**

# NUM CARNEM HUMANAM COMEDAMUS UT CLIMA SERVEMUS?

<https://philosophia-perennis.com/2019/09/08/schwedischer-professor-mit-rezept-gegen-den-klimawandel-menschenfleisch-essen/>



*Quidam professor Suetus famosus docet mutationem climatis posse retardari renovandâ anthropophagiâ. Nos autem „iuvénibus Prasinis“<sup>1</sup> adiuvantibus ideam huius professoris receptam augentes quaerimus: Nonne iuvat nos antequam cadavera comedemus cum iisdem coire?*

Is qui speravit cucullorum plasticorum prohibitionem praemiumque Nobelianum Gretaë climaticae attribuendum esse ultimas hysteriae climaticae ineptias, nunc spe fallitur. Praebentur enim multo plura atque meliora.

**Magnus Söderlund**, professor scientiae mercatoriae et director *Centri Comercii Consumtorii*, quod spectat ad *Scholam Oeconomiae Holmiensem*, in televisorio Suetico proposuit, ut anthropophagia, i.e. comesio carnis humanae, fiat telum magni momenti, quod adhiberetur ad calamitatem climatis impugnandam.

---

<sup>1</sup> iuvénēs prāsinī orig. die Grüne Jugend.

**Tollendas esse normas morales traditas,  
quibus anthropophagia evitaretur!**

*Anthropophagiam esse viam, quae iniri posset ad mutationem climatis impugnandam. Primo autem tollendas esse normas traditas, quibus anthropophagia evitaretur.*



At quiescat is qui putat hunc professorem brevi ante colloquium interrogatorium sumpsisse nimis multum *metamphetamini* sive *pervitini* (*crystal meth*) ideoque eius animum nimis inclinatum esse ad perversiōnē: Nam ille professor purā cum ratione et illā cum humanitate, qua Suetia est insignis, simul monet *oportere, ut illa persona comedenda sit mortua.*

Ergo nulla est causa, cur sollicitentur homines adhuc viventes; in praesenti quidem nondum periculum est, ne quis subito fame correptus sibi aures aut – ne nimis multum phantasiae praesumamus – aliam partem corporis admorsam degluttiat.

**Anthropophagiâ concessâ quidni concedamus necrophiliā?**  
Ne quis credat hīc tractari res minoris momenti:

„*Si in rebus climatis et sustentabilitatis<sup>1</sup> nihil relinquere volumus non temptatum, praestat hoc thema tractare.*“

Tamen haec idea a professore proposita nondum omni ex parte est ritē perpensa. Nescimus an eadem quadamtenus consummetur, si ad effectum adducetur quaedam res iam aliquamdiu ante a *Iuvenibus Prasinis* ad societatem promovendam proposita: Qui iuvenes enim proposuerant, ut *necrophilia*, i.e. venus cum cadaveribus colenda, lēge permitteretur. Nam etiam coitu venereo emittitur permultum carbonei dioxydati. At si unus e veneris participibus iam est mortuus, emissio carbonei dioxydati evidenter dimidiatur. Necnon hac re ad effectum adductā demonstraretur, quot rationibus fieri possit regyratio, si quidem homines tanto sunt animo, ut quadam cum facultate creativâ ineant vias extraordinarias.

### **Primo comedantur conservativi!**

Necesse est magis impugnemus conservativismum, cuius normis moralibus obsoletis impeditur, ne nos retardemus interitum mundi. Hac de causâ nonne consentaneum est, ut praeceptum illud mortuos tantum comedendi ne nimium respicientes incipiamus comedere conservativos.

Exspectemus, quinam caupo Berolinensis, qui vetat cauponam suam intrari a politicis ipsius factionis AfD, in indice suo ciborum primus praebiturus sit *Alexandrum Gauland* aut *Ericam Steinbach*... Multa possunt fieri, quae suscipiamus facienda: Bene sapiat vobis!

\*\*\*

**Hanc symbolam satiricam scripsit et d.06. m.Sept. a.2019  
divulgavit David Berger in periodico interretiali, c.t. „Philosophia  
perennis“. In Latinum convertit Leo Latinus.**

<https://philosophia-perennis.com/2019/09/08/schwedischer-professor-mit-rezept-gegen-den-klimawandel-menschenfleisch-essen/>

---

<sup>1</sup> **sustentabilitas**, -ātis f. orig. *Nachhaltigkeit*; angl. *sustainability*.

# **SOCIETATEM NOSTRAM REDACTAM ESSE AD RATIONEM PUERILEM<sup>1</sup>**

*Scripsit Henryk M. Broder, in Latinum convertit Leo Latinus.*

*E phaenomeno Greta Thunberg appareat, quam stultus stupidusque factus sit cultus noster civilis. Adulti autem eo quod animis inflammatis laudant pueros puellasque, qui subito studeant rebus politicis, nihil faciunt nisi dissimulant.*



## **Parvuli gerant proelium!**

Diligo Gretam. Non, quia habet crines nexiles, non, quia habet faciem lunarem, non, quia laborat morbo Aspergeriano, neque, quia absentiam scholarem fecit imperativum moralem. Diligo Gretam, quia – etsi invita – id nacta est, ut societas occidentalis patefieret talis,

---

<sup>1</sup> originaliter: „**Infantilisierung der Gesellschaft**“, cfr. DIE WELTWOCHEN, Nr.35, 29.Aug.2019, Zürich, p.9 sq. Item [https://www.achgut.com/artikel/kinder\\_in\\_die\\_schlacht](https://www.achgut.com/artikel/kinder_in_die_schlacht)

qualis est reverâ: superstitiosa, degenerata, stulta, hysterica, puerilis necnon redemptionis salutaris cupidissima.

En mirum quantum praestitit puella sedecim annos nata, filia familiae Sueticae ordinis socialis medii, quam verisimile est ne unam lineam umquam legisse a *Maxentio Weber, Carolo Marx, Sigismundo Freud* aut *Theodoro Adorno* scriptam. Quidnam est causae, cur illos legat?

Greta omnes superavit. De nullo homine vitae publicae spatio temporis tam brevi tot relationes sunt scriptae atque publicatae quot de Gretâ. Quae locuta est coram parlamento Europaeo, in foro oeconomiae mundanae in urbe *Davos* habito et in conferentiâ climaticâ in urbe *Katowice* factâ. *Iohannes Claudius Juncker* eam amplexus est, Papa eam in Plateâ Sancti Petri salutavit. Si Greta mox exornabitur praemio pacis Nobeliano, hoc nihil erit nisi proximus gradus illius viae, in cuius fine haec puella beatificabitur viva.

Scilicet Gretam esse – ut sermone archaeologorum utamur – *rem ab hominibus fabricatam*, aut sermone praestigiatoris, qui aliquâ technâ efficit, ut laophorum hominibus completum e scaenâ evanescat, *eventum non verum qualitatibus methodi effectum*.

### **Unam matellam ab omnibus adhiberi**

Greta antequam celoce profecta est ad Mare Atlanticum transnavigandum, rogata erat, num promptum haberet secessum, i.e. locum ad requisita naturae curanda privatum. Tum Greta monstravit situlam plasticam, quam et sibi ipsi et convectoribus suis ad alvum exonerandam utilem fore dixit. Omnis homo mediocris, si talem rem sibi imminere audiret, subitâ alvi constipatione corriperetur, sed Greta exhilarata affirmavit sibi nullo modo molestum esse, quod eo modo amitteret ultimam vitae privatae particulam. Adhuc nondum responderi potest quaerentibus, utrum illa situla matellae similis itinere finito Londinii apud Sothebyanos subhastetur an spectanda exponatur in oecis Academiae Scientiarum Sueticae. Item incertum est, quo vehiculo Greta post iter Americanum in Suetiam reversura sit, utrum vectura sit lintre bipali an nave epibaticâ an volatura sit folle aërostatico. Hoc pendet ex emissione carbonei dioxydati.

Ut phaenomenon *luminis* explicatur aut imagine undarum aut corpusculorum, quarum imaginum una excludit alteram, ita *Gretae* phaenomenon non explicatur nisi duabus rationibus inter se diversis. Aut idem est spectaculum, quo *Monty Python* grex olim comoedorum Britannus splendidos successūs suos priores cupit renovare aut est experimentum, quo sociologi invenire student, qualibus quantisque oblectamentis fruatur societas, quae valedixit omni cogitationi rationali. Quae societas, cum nullā iam re excitetur nisi exspectatione interitūs proprii, puellam perturbatione ethologicā affectam veneratur tamquam sanctam, quae sciat super aquam ambulare.

Societas autem omni ex parte puerilis quodammodo genua flectit coram animali puerili. Eadem maiorem puerilitatem quam umquam antea nacta, qua interim insignes sunt societatis nostrae res politicae et culturales. Adulti enim homines cancellariam suam appellare solent „*mammam*“, cum pueri, qui adhuc ursulos suos lusorios palpare solent, publicē manifestent reclamantes sibi raptari vitam futuram, ii, qui dicuntur esse adulti, tantā inflammatione animi corripiuntur, ut vix pedibus possint constare. Tandem ad verum adducitur vaticinium *Herberti Grönemeyer* cantantis: „*Exercitūs confecti sunt ex ursulis cummeis, harmata ex martipane, parvuli bella comedunt ratione simplici, sed pueriliter ingeniosā...*“

## **Prophetae interitūs**

Adulti autem eo quod animis inflammatis laudant pueros puellasque, qui subito *studeant rebus politicis*, nihil faciunt nisi dissimulant.

Nullus umquam homo mentis sua componeretur appendicem intestini sibi exsecari a puerō sedecim annos nato, cui parentes in Natale Domini donaverunt atlantem anatomiae. Nullus homo, qui curare vult domum sibi familiaeque suaē aedificandam, architectum sibi eligeret sedecim annos natum, qui usque nunc nihil aedificavisset nisi arcē harenaceas. Neque ullus homo, qui sciat fundum speculativum a contractu aedificandi comparsorio, possessionem suam mandaret puerō sedecim annos nato. At si agitur de climate deque mundo, in quo vivimus, subito parvuli strepitantes habentur pro prophetis mundi interituri maximē aestimatis.

Celeriter emamus autocinetum novum nomenque demus itineri ad Insulas Maldivas faciendo. Fortasse cras haec non iam fieri poterunt. Ut superemus pudorem volandi, pecuniolam donemus aut bestiis plantisque aut circumiectis tutandis.

Certê Greta aliquamdiu perget hymnicê celebrari. Quae celebratio hymnica non finietur antequam cinema monstratum erit c.t. GRETA, quo illustrabitur totus huius puellae cursus honorum. Si omnia bene fient, calamitas climatis summa fiet brevi post primam huius cinematris Gretarii exhibitionem. At si deinde calamitas non facta erit, oportebit parentes Greta in ius vocari propter abusum filiae sibi obnoxiae.


*Haec symbola Henrici Broder primum edita est in Weltwoche (Turici d.29.m.Aug.2019), deinde in Achse des Guten. In Latinum convertit LEO LATINUS.*



*David Nicolao Groß amico caro suo salutem plurimam dicit!*

*Spero te bene valere! Cum magno gaudio diurnum quod "Epistola Leonina" inscribitur accepi et legi. Hoc scriptum "De Pietate Aeneae et Moysis" tibi mitto, quod scripsi. Si id legere tibi placeat, te rogo, ut id in diurno "Epistola Leonina" divulges. Te quaeso, mihi scribere, quid tu in hac re sentias! Cura ut valeas! Tuus amicus ex Sancta Urbe Hierosolyma, David Gowin*

## DE PIETATE AENEAE ET MOYSIS



**scripsit D a v i d G o w i n Hierosolymitanus**

Romae nobilis poeta Vergilius, Augusti et Octaviae admirator, cecinit res gestas viri non tantum bellis sed potius "pietate insignis". Aeneas, vir clarus, iste fuit. Ergo is "pius" appellatus est. Itaque, Vergilius poeta Aeneam cecinit his verbis: "insignis pietate vir" fuit.<sup>1</sup>

Quid enim pietas est? Pietas est virtus erga deos, patriam, parentes et alios maiores. Apud Ciceronem in libro suo, qui "De Natura Deorum" inscribitur, legimus ut sequitur: "Est enim pietas iustitia adversos deos".<sup>2</sup> Itaque in poemate, qui "Aeneis" inscribitur, scriptum est: "si qua est caelo pietas".<sup>3</sup> Nam, Aeneas per virtutem pietatis apud populum Romanum meritissimus est.

Aeneas lumen populo Romano, velut unicum exemplum virtutum et morum, fuit. Aeneas enim magno animo egit. Nec ille facinora fecit, neque laudem sibi paravit, sed praecipue voluntati Dei Iovis

satisfacere voluit, et populum suum ad Romam condendam ex Troia incensa in Latium deduxit.

Similiter Moyses, dux religiosi populi Iudeorum et vir legislator, praceptor et propheta, populum Iudeorum ex Aegypto deduxit. In libro Deuteronomio, Moysem hominem Dei vocatum esse legimus.<sup>4</sup> Moyses verecundus vir Dei fuit. Nam, in libro Numeri Sacrae Scripturae scriptum est: "erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra".<sup>5</sup>

Vita Romanorum a virtute pietatis destinata est, sicut apud Iudeos, qui secundum voluntatem Dei legem Mosaicam observantes vivunt. Sic et simpliciter, voluntatem Dei sequi: haec Aeneae et Moysis admonitio fuit, ad secundum quod religionis normae praecipiunt vitam agendam.

Verbum ipsum docet: "religio" est quod "hominem sibi Deus religaverit". Atque religio est "metus divini numinis, ex quo eius cultus, reverentia et observatio sequitur, pietas, sanctitas".<sup>6</sup>

De veriloquio verbi "religionis" vero multum ambigitur, nec una tantum est derivatio qua explicantur omnes huius verbi significaciones. Omnibus notum est in Hebraico Testamento vocem religionis ignotam esse, in Hebreorum sacris libris eam haud inveniri posse. Tamen nonnulla verba a Latina voce quae est "religio" derivata hodie in maximo usu sunt.

## SCRIPSIT DAVID GOWIN HIEROSOLYMITANUS

PS Maximas Gratias ago amico caro meo et magistro Pino Blasone, Romae, pro auxilio in lingua Latina.

<sup>1</sup> Cf. Vergilius, Aeneis 1.10

<sup>2</sup> Cf. Cicero, De Nat. Deo., I, 116

<sup>3</sup> Cf. Vergilius, Aeneis, II, 536

<sup>4</sup> Cf. Vulgata, Deuteronomium; 33,1

<sup>5</sup> Cf. Vulgata, Numeri;12,3

<sup>6</sup> Cf. Forcellini (1775) [edit. nova 1940]: Lexicon totius Latinitatis (Latino-Latinum), dictum "religio", p.68

## VOCES ECHUS EPISTULAE

d.03.m.Aug..2019:

### **Victorius Nicolao salutem.**

Gratias tibi ago vel maximas, care Nicolae, pro gravissima epistula Leonina ducentesima prima praecipueque pro symbola cui titulus 'Petitio climatica'. Hac nactus occasione iterò quae alias scripseram: quod plerique Greta Thunberg, adulescentulæ cladem climaticam stulte minanti credant, mirum non est; nam «fere libenter homines id, quod volunt, credunt» (sunt Caesaris verba in 'Belli Gallici' libro tertio, XVIII, 6). Optime valeas.

### **Nicolaus Victorio sal.pl.dic.**

Libenter hanc quoque epistulam tuam divulgabo, optime Victori. Nam hoc tempore, quo insania Prasinorum climatica triumphare videtur, necessarium est, ut nos adhuc sana mente praediti viribus counitis, quantum possumus, concives nostros politicorum diurnariorumque funestis vaticiniis mendacissimis in tenebras erroris inductos panicoque terrore affectos reducamus ad lucem rationis lucidissimam. Eo quod nonnullis saltim hominibus persuadebimus Gretulam errare neque mundum carbonei dioxydati causa interiturum esse, tandem aliquatenus nobis continget, ut studia humaniora ad effectum adducamus vere salutarem. Haec hactenus.

Perendie cum uxore volabo in eius patriam, Coream meridionalem, ubi per tres septimanas versabor computatro plerumque abstinens (ratione digitali, ut ita dicam, iejunabo, et scribenda scribam stilo sphærato).

Austrocoreaniani (Coreani meridionales) ex nonnullis mensibus rixantur cum Iaponibus; in praesenti gerunt bellum ut dicunt oeconomicum. Iapones enim heri nomen Coreanorum exemerunt ex indice albo commerciali ("white list"), i.e. indice nationum summae securitatis. Itaque Iapones quasdam merces (ad usum electronicum et militarem aptas) iis non iam vendunt contendentes Coreanos meridionales clam eas tradere borealibus, i.e. dicturae hostili. At Austrocoreaniani hoc vehementissime negantes dicunt Iapones revera ulcisci postulationem damna colonialismi Iaponici ingentia restituendi. In magnis tabernis inscripta sunt verba: Nos non vendimus merces Iaponicas! Et publice comburuntur vexilla Iaponica. Necnon heri nuntiatum est Coreanum senem conatum esse se ipsum comburere, ut manifestaret et in memoriam revocaret Iaponum superbiam scelerum colonialismi immemorem.

Haec accepimus de rebus in Corea nunc valentibus. Tamen spero me ibidem tanta quiete frui posse, ut legam et scribam Latina quam plurima. Post redditum,

qui - sub reservatione Iacobea - fiet tribus septimanis transactis, pergam tibi mittere manuscripta Orbis Picti Hexaglotti. His diebus tracto capitulum, quod spectat ad ENERGIAM.

Tu autem, care Victori, pancratice vale et perge mihi favere.  
Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

**Victorius Nicolao** salutem.

Gratias tibi ago vel maximas, care Nicolae, pro gravissima epistula Leonina ducentesima prima praecipueque pro symbola cui titulus 'Petitio climatica'. Hac nactus occasione iterò quae alias scripseram: quod plerique Greta Thunberg, adulescentulæ cladem climaticam stulte minanti credant, mirum non est; nam «fere libenter homines id, quod volunt, credunt» (sunt Caesaris verba in 'Belli Gallici' libro tertio, XVIII, 6). Optime valeas.

**Victorius Nicolao** s. q. p. d.

Utinam «ad lucem rationis lucidissimam», mi Nicolae, eos homines reducere possemus stulto panicoque terrore affectos! Sed conandum est, quamquam irrationalibus argumentis complures viri feminaeque saepissime alliciuntur.

Gratias tibi ago, quod de rixis Austrocoreanos inter et Iapones exortis me certiorem fecisti. Quae in orientibus orbis terrarum regionibus accident, ea non sine studio legere soleo.

Propositum tuum computatri per tres septimanas non adhibendi laudandum est. Id ut faciam et ego, mihi saepe medicus meus suadet. Sed hac aestate haud parum temporis erit a me dicandum symbolae 'De Lucretia Borgia' (+ 1519) conscribendae. Quae mulier tribus viris nupsit, quorum primus, Ioannes Sfortia, urbis in qua habito, dominus fuerat.

Tibi et Uxori tuae tranquillam commorationem et iucundam quietem in Corea exopto. Optima sint vobis itinera.

Valeas Latinissime.

**Dirk Stratmann** (am 26.4.2019 bei XINGS)

Ich bin selber aktiv für die Klimaziele mit persönlichen Verzichten. Doch Demonstrationen sind in der Freizeit glaubwürdiger. Die Bischöfe zu Berlin machen sich lächerlich. Wie Kirche im Ersten Weltkrieg das Ganze mit Bibelsprüchen garnierte, so auch zu Beginn des Zweiten Weltkriegs, und jetzt

eben die Fridays for Future. Der katholische Bischof vergleicht Greta mit JESUS beim Einzug nach Jerusalem. Ein Journalist hofft schon, dass dieses Mal die Kreuzigung am Donnerstag stattfindet, damit wir dann den Freitag als Brückentag dazu haben. Und auch der evangelische Bischof missbraucht wieder eine Bibelstelle von den ährenraufenden Jüngern am Sabbat, um den Schulschwänzern Jesus' Segen zu verheißen. Viele Pfarrer sind nur noch ZEITGEISTliche und Trittbrettfahrer ohne eigene geistliche Botschaft. NOCHMALS: VERZICHT zugunsten der Klimaziele ist sinnvoll, auf energischere, konsequente Politik zu dringen ebenfalls. Doch dies Anbiedern bei schulschwänzenden Schülern ist ekelhaft.

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR.	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAЕ</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM SECUNDAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

---

GRETA SARÀ RICEVUTA IN VATICANO DAL PAPA




---

**Die Lunae, 9. m. Sept. a. 2019**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

